

inter se ex objectis, quatenus sunt principia activa earum, ut supra dixit D. Thomas; ergo in universum actiones distinguuntur ex principio. Confirmatur secundo, quia motus ut motus, vel ut passio seu mutatio generatim sumpta sumit speciem a termino; ergo actio ut actio non potest inde sumere speciem; nam cum sint res diversorum prædicamentorum, non possunt habere idem specificationis principium.

4. Secundus modus dicendi est, actionem sumere speciem ex termino, et non ex principio agendi. Sumiturque ex D. Thoma, q. 6 de Potent., art. 8, ubi ait: *Proprie actio sicut et motus a termino speciem habet, a principio autem habet proprie quod sit naturalis.* Idemque videntur sentire omnes philosophi, cum loquuntur de specificatione motus ex termino; nam sub motu actionem et passionem includunt. Ratione etiam probatur, quia si actio non sumeret specificationem suam a termino, sed a principio agendi, omnes actiones procedentes ab eodem principio essent ejusdem speciei, etiamsi ad diversissimas res tenderent, quia haberent idem principium specificans. Consequens autem incredibile est, alias calefactio et illuminatio solis essent actiones ejusdem speciei, quia procedunt ab eadem luce solis; et similiter omnes actiones voluntatis, præsertim illæ quæ ab illa sola fiunt, ut a principio proximo activo, essent ejusdem speciei. Confirmatur primo, quia actio licet ab agente procedat, tamen essentialiter est communicatio alicujus esse, et sub ea ratione est via ad suum terminum; via autem essentialiter respicit terminum, et variatur variato termino; ergo ab illo speciem sumit. Confirmatur secundo, nam cum motus duos habeat terminos, nimirum a quo et ad quem, juxta veram philosophiam non accipit motus speciem a termino a quo, sed ad quem; at vero ad eundem modum videtur comparari ad actionem principium agendi et forma facta; nam agens est a quo egreditur actio, forma vero est ad quam tendit, quam semper hic nomine termini intelligimus; ergo non sumit actio speciem a principio a quo egreditur, sed a termino ad quem tendit.

5. Tertia sententia esse potest, ad specificationem actionis concurrere simul principium et terminum, ita tamen ut variatio utriusque et singulorum ad diversitatem actionis sufficiat; nam si actio sit ab eodem agente ad eundem terminum, actio erit ejusdem speciei; si vero terminus sit idem, et

agens diversum, actio erit diversa; et e converso, si agens sit idem, et terminus distinctus, actio erit distincta ab utraque præcedentium. Hæc etiam sententia sumi potest ex D. Thoma, citato loco de Potentia, et clarius 1 part., quæst. 77, art. 3, ubi ait: *Ex his duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio, vel ex fine seu termino;* ubi notanda est illa distinctio, vel; indicat enim, diversitatem in quocunque illorum sufficere ad diversitatem actionis. Ratione autem probari potest hæc sententia, primo ex illo principio D. Thomæ, dicta quæst. 54, 1. 2, art. 2: Omnia quæ dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum ad quæ dicuntur; ergo quod dicitur secundum ordinem ad plura, distinguetur secundum distinctionem eorum. Et quia, sicut bonum ex integra causa, et malum ex quocunque defectu, ita unitas requirit convenientiam omnium principiorum, ad diversitatem autem sufficit diversitas singulorum; ergo in præsentia, cum actio essentialiter respiciat tum principium, tum etiam terminum, ex convenientia et unitate eorum sumet unitatem, et ex distinctione cujuscunque illorum sumet diversitatem. Quod secundo ostenditur inductione; nam imprimis productio ejusdem hominis facta ab homine generante, vel a Deo creante, est actio specie diversa ex diversitate principiorum, quamvis terminus sit idem; idem videtur certius de ejusdem hominis generatione et resurrectione, et de productione naturali et miraculosa ejusdem visus. Rursus e contrario multo certius est actiones calefaciendi et illuminandi esse diversas specie ex terminis, etiamsi ab eodem principio procedant, ut paulo ante dicebamus. Unde tertio potest hæc sententia confirmari rationibus primæ et secundæ; nam illa probant diversitatem in quocunque illorum respectum sufficere ad diversitatem actionis; ex quo plane fit utrumque simul concurrere ad specificationem actionis.

6. Addunt vero aliqui, etiam illa duo simul sumpta non sufficere ad unitatem actionis, sed oportere præterea attendere ad modum actionis, quia fieri potest ut principium et terminus sint eadem, et nihilominus actio sit diversa ex modo, ut in nonnullis exemplis supra positis videre licet: creatio enim et generatio ejusdem rei, etiamsi utraque actio a Deo immediate fiat, sunt actiones specie diversæ, non ex termino vel principio, sed ex modo. Similiter dicunt philosophi, motio-

nem circularem et rectam distingui specie, etiamsi ad eundem terminum tendant, et ab eodem principio procedant. Et simile est de autione et diminutione. Et confirmari potest a simili; nam habitus sæpe distinguuntur ex modo tendendi, etiamsi alias in objectis convenient. Sicut etiam duæ viæ materiales, licet ad eundem terminum tendant, solent distinguui, quia diversis modis seu per diversa spatia tendunt.

*Actionem speciem ac diversitatem sumere a termino.*

7. In hac diversitate opinionum, dicendum imprimis censeo, ad unitatem specificam actionis requiri termini unitatem, et consequenter ad terminos specie diversos semper esse actiones specie diversas; atque adeo speciem actionis semper sumi aliquo modo ex termino. Hæc sumitur ex Aristotele, 5 Phys., c. 4, text. 31, nam quoad hoc eadem est ratio de motu et de actione, ubi reliqui philosophi idem sentiunt. Idem Ægid., in 1, dist. 17, art. 2. Et ratio est, quia terminus comparatur ad actionem per modum formæ et actus ultimi, propter quem primo ac per se fit; ergo inde sumit primariam rationem suam. Item, quia actio in re non est nisi ipsa forma, vel res, quæ fit, prout egreditur, et pendet ab agente; ergo si forma quæ fit, est specie diversa, etiam actio erit specie diversa; tandem actiones ex terminis, ad quos tendunt, habent contrarietatem et repugnantiam; ideo enim frigeactio et calefactio contraria sunt, quia termini, ad quos tendunt, sunt contrarii; similiter ex terminis habent communem denominationem, ut dicitur calefactio a calore, quod est signum inde etiam habere speciem et naturam. Quo argumento usus est in simili Philosophus, 5 Physicor., textu 4 et 48; argumenta etiam facta in secunda opinione hanc assertionem sufficienter persuadent.

8. Sed quæri hic potest quanta vel qualis terminorum distinctio vel unitas sufficiat vel requiratur ad distinctionem vel unitatem actionis. Quidam enim putant non sufficere specificam distinctionem terminorum in suo esse naturali et reali, sed requiri etiam quod distinguantur in ratione formali terminandi; et e converso, ad unitatem specificam actionis, non existimant requiri unitatem specificam termini in suo esse reali, sed in esse formali termini. Sicut enim in objectis habitum distinguui solet objectum materiale et

formale, ut unitas vel distinctio habitus, non ex materiali, sed ex formali objecto sumenda intelligatur, ita censent in terminis actionum distinguendum esse, et materialem terminum appellant, rem quæ fit, secundum suum esse reale; formalem vero, eandem rem secundum modum quo afficitur ab agente. Quæ sententia sumi potest ex Alberto, 7 Phys., tract. 3, cap. 1. Nihilominus tamen conclusio posita intelligenda est de terminis productis per actionem, secundum esse eorum; nisi enim ita intelligatur, nihil certum de unitate vel distinctione actionum ex terminis affirmari potest. Nam illa formalitas termini unde sumenda est? Si enim dicatur sumenda ex modo agendi, de ipso modo agendi inquiri poterit an sit unus genere vel specie ultima. Primum non semper dici potest, ut patet de modo agendi per alterationem, vel per educationem de potentia materiæ, et alius; si autem sub hoc modo agendi sunt varii modi, seu variæ actiones specie distinctæ, non potest distinctio nisi ex terminis designari, qui termini sumendi necessario erunt secundum esse rei, quia in modo quo attinguntur, non differunt. Et hac ratione dicebamus superius actionem creativam non esse unius speciei respectu rerum omnium, sed pro diversitate specifica creaturarum, actiones etiam creandi specie differre; idque a paritate rationis confirmabamus ex diversitate specifica generationum, vel alterationum tendentium ad diversos terminos.

9. Quod argumentum etiam præsentem sententiam confirmat; nam, quod generationes equi, leonis, etc., specie differant, communis est philosophorum sensus; nam Aristoteles calefactionem et frigefactionem aperte dicit specie differre, 5 Physic., c. 3, et videtur per se manifestum: nam illæ actiones natura sua contrariæ sunt. Et fere eadem ratio est de educatione formarum substantialium specie distinctarum, natura sua in eadem materia repugnantium. Idem præterea argumentum fieri potest de omnibus actionibus intellectus aut voluntatis, quæ in modo quo fiunt ab his potentiis conveniunt, et non propterea possunt existimari ejusdem speciei, cum ad diversos terminos seu objecta tendant. Ratio denique a priori est, quia actio, ut actio, est productio et communicatio alicujus esse; non potest autem magis formalis terminus productionis assignari, quam ipsa res producibilis secundum proprium esse specificum, quo producibilis est. Quapropter



non fit recte comparatio inter terminos actionum, et objecta habituum vel actuum, quia objecta non comparantur ad habitus ut producibilia ab ipsis, sed ut attingibilia (ut sic dicam) per aliquod medium, vel sub aliqua ratione formali, et ideo ex diversitate mediorum aut rationum attingendi objecta possunt habitus diversificari; actio vero respicit terminum ut producibilem, id est, ut potest esse recipere, aut tale esse, et hæc est maxime formalis ratio, et ideo ex ejus diversitate semper diversificatur actio.

*Actiones non distinguere absque terminis.*

10. Dico secundo: probabile est nunquam actionem esse diversam in specie ob solum principium agendi, si terminus idem sit, et ejusdem rationis, quanquam oppositum etiam defendi possit. Probatur prior pars inductione, quæ inductio cum negativa sit, solum fieri debet in illis exemplis in quibus maxime videntur actiones specie diversæ ad eundem terminum tendere; nam si in eis recte consideratis non ita est, sufficiens argumentum erit nunquam id accidere. Sic ergo fit inductio primo in generatione et creatione ejusmodi hominis; nam in tantum illæ actiones differunt, in quantum creatio includit effectiorem materiæ et formæ ex nihilo, generatio vero illas non includit, sed supponit, et dicit tantum unionem formæ cum materiæ; at vero si in productione hominis per creationem accurate distinguamus effectiorem materiæ et formæ, et consideremus solam actionem qua uniuntur, illa actio præcise sumpta non invenietur distincta ab actione quæ in generatione intercedit, quemadmodum in superioribus, tractando de formali causa, dicebamus, actionem, per quam in materia elementari introducta fuit prima forma ignis vel terræ, etc., fuisse veram educationem, etiamsi in eodem instanti materia fuerit creata. Unde, licet creatio ignis absolute sit diversa actio a generatione, tamen si subtiliter præcindatur educio quæ in illa creatione includitur, non erit actio specie distincta a generatione. Et propter eandem causam dixi in 2 tom. tertiæ part., disp. 34, sect. 5, cum multis auctoribus, resurrectionem hominis, si præcise consideretur quantum ad unionem animæ cum corpore, nullo alio adjuncto supernaturali dono vel miraculo, esse ejusdem rationis specificæ cum substantiali actione qua primo anima unitur corpori in generatione. Ergo idem dicendum

erit de omni simili actione, vel restitutione formæ amissæ. Similiter, si Deus annihilaret aliquem Angelum, et eundem postea iterum crearet, quamvis illa dici possit quasi resurrectio quædam, id est, iterata productio rei, quæ jam prius fuerat, et esse desierat, tamen illa actio ejusdem rationis esset cum prima creatione, quia sola iteratio, aut durationis interruptio non potest sufficere ad specificam diversitatem actionum; idem ergo erit in actione unitiva aut educiva, si aliunde in termino non sit major diversitas.

11. Potest vero ulterius comparari actio creandi cum actione educendi formam de potentia materiæ, et invenietur specie distincta etiam respectu ejusdem termini. Nam, si Deus crearet quantitatem sine subjecto, actio esset specie diversa ab ea qua educit quantitatem ex materia. Sed licet hoc verum sit, non tamen est sine aliqua diversitate terminorum; nam per creationem fit ipsa quantitas, per educationem vero non fit quantitas, sed quantum, quæ differentia in omni simili actione reperitur, et non est posita in solo modo loquendi, sed in re ipsa habet fundamentum, quia per creationem fit quantitas præcise et abstracte vel cum modo per se essendi, per educationem vero formaliter fit quantitas ut unita, ita ut terminetur actio etiam ad modum unionis ex natura rei distinctum ab ipsa forma. Et ex hac diversitate in termino actionis oritur etiam diversitas in modo, quia per creationem fit forma sola virtute efficientis causæ; per educationem vero non fit, nisi concausante, cum illa, materiali causa. Sic igitur nunquam creatio ejusdem rei est actio specie diversa ab alia ejus productione, sine aliqua distinctione in ipsis terminis. Atque hinc potest fieri generale argumentum; nam si in his actionibus quæ maxime videntur per sese diversæ vel ex principiis vel ex modo, nihilominus earum distinctio nunquam salvatur sine distinctione in terminis, multo minus in aliis actionibus poterit id reperiri.

12. Unde alia exempla facilius possunt expediti, quale est de calefactione facta vel ab igne, vel a sole, vel item ab igne cum concursu Dei, vel a solo Deo; in his enim omnibus facillime negari poterit, actiones esse specie diversas propter solam illam principiorum diversitatem, quia, licet illa principia sint realiter seu formaliter diversa, tamen non agunt idem ut diversa sunt, sed quatenus unum eminenter continet aliud, vel ambo eandem formam. Quod autem hoc sufficiat

ad specificam unitatem actionis respectu ejusdem termini, satis probabiliter suaderi potest, quia virtus eminenter continens aliam, sicut eminenter continet formam ejus, ita et actionem ejus; ergo virtus eminens non solum potest facere eandem formam in specie, quam virtus inferior, sed etiam eandem actionem in specie; sic ergo Deus non solum potest se solo facere eundem specie calorem quem facit ignis, sed etiam eandem specie calefactionem; ergo calefactio, quæ fit a Deo solo, et quæ fit ab igne cum concursu Dei, ex hoc capite non differunt specie. Quod eodem modo procedit de omnibus similibus agentibus.

13. Et inde etiam potest formari generalis ratio; nam diversa principia ejusdem termini, vel sunt causæ univocæ, vel æquivocæ, vel una univoca, et alia æquivoca. Si sint univocæ causæ, erunt ejusdem rationis cum effectu, et consequenter etiam inter se; si vero una causa sit univoca, et altera æquivoca, etiam actio erit ejusdem rationis ob rationem tactam, quia causa æquivoca agit ut eminenter continens effectum et actionem causæ univocæ. Atque eadem ratione si ambæ causæ sint æquivocæ, etiamsi sint in se diversarum naturarum, si efficiunt effectum ejusdem rationis, facient etiam per actionem ejusdem rationis, quia facient quatenus eminenter continent idem; ergo actio si ad terminum omnino similem tendat, non potest esse diversa essentialiter ex parte agentium, quia non potest alia esse diversitas in agentibus præter dictam. Nisi quis fortasse addat, quod interdum effectus est simul a causa univoca et æquivoca, ut a causa secunda et prima, interdum ab æquivoca tantum, aut certe quod interdum effectus est a causa principali medio instrumento, interdum sine illo. Sed certe si priores varietates agentium non sufficiunt ad diversitatem actionum, neque istæ sufficient, quia neque sunt majores, neque est in illis specialis ratio; imo hæc in illis continentur. Nam quod causa æquivoca operetur sola, vel cum univoca, perinde est; nam semper causa æquivoca operatur ut eminenter continens effectum. Causa vero instrumentalitatis, præsertim si connaturalis sit, non ponit in numerum (ut ita dicam) cum causa principali, sed ad eandem actionem sibi et effectui maxime connaturalem assumitur.

14. Et confirmatur hæc inductio, nam per se incredibile videtur actionem movendi celum, verbi gratia, esse diversam specie, eo

quod fiat ab Angelis specie diversis, aut a Deo immediate, vel ab Angelo. Idem ergo est de aliis similibus, quoties terminus est omnino ejusdem speciei. Tandem adjungi potest ratio quæ videtur a priori, quia principium agendi, si sit univocum, ex sua specie determinatum est ad talem actionem tendentem ad talem terminum; si autem sit æquivocum, cum ex se sit universale et indifferens, non potest ab illo sumi determinata species actionis; determinatur ergo ex termino, quia in illum non influit secundum totam virtutem quam habet, sed prout illum eminenter continet; ergo semper species actionis ultimate est spectanda ex termino.

*Argumentis primæ sententiæ satisfactum.*

15. Est itaque hæc pars probabilissima, et mihi, absolute loquendo, vera videtur, juxta quam facile solvuntur rationes factæ in prima sententia. Nam D. Thom. ibi citatus exponendus est juxta alia dicta ejus in locis, quod actio sumit speciem ex principio agendi, non sistendo in illo, sed ut relato ad terminum, seu ut determinato ratione illius ad talem modum actionis. Hæc enim est ratio ob quam, licet ordo ad principium et terminum sit de essentia actionis, determinatio speciei actionis magis est ex termino quam ex principio, quia terminus in universum est magis determinatus, et limitat (ut ita dicam) actionem causæ, si alioqui ipsa determinata non sit. Ad primam autem rationem respondetur negando utramque partem in ea sumptam. Diximus enim creationes rerum specie diversarum esse specie diversas, etiamsi ab eodem agente procedant, et e contrario actiones ad eundem terminum esse ejusdem rationis, etiamsi fluant a diversis agentibus. Ad primam confirmationem concedo actiones vitales differre a non vitalibus, ex principiis diversarum rationum, non tamen sine ordine ad diversos terminos. Unde, si interdum idem omnino terminus fieri potest per actionem vitalem, et non vitalem, tunc actiones ipsæ non erunt differentes in specie secundum rem, sed tantum secundum extrinsecam denominationem, sicut differunt sæpe actio libera, et non libera, et motio naturalis, vel violenta. Ut locutio aut comestio Angeli in corpore assumpto non est vitalis, sicut est locutio vel comestio hominis; et tamen, si actiones illæ exteriores in sua reali essentia considerentur, non sunt specie diversæ, sed denominatione tantum.



16. Concedo rursus, actiones vitales inter se differre ex objectis, ut ex principiis, non tamen sine ordine ad terminum. In qua re considerandum est, quod supra diximus, in ipsis actibus vitalibus immanentibus distinguendam esse rationem actionis a termino ejus intrinseco, et qualitate facta, quæ est propria forma, et actus ultimus potentiæ vitalis; de quo actu ut sic præcipue verum est, sumere speciem ex objecto in quod immediate tendit. Tamen, loquendo de actione ut actio est, etiam illa sumit speciem ex proprio intrinseco termino, quamvis etiam sumat ex objecto, vel quatenus est principium aliquo modo illius actionis, vel quatenus ipsemet terminus actionis ab objecto speciem sumit. Ad secundam confirmationem respondetur, tam passionem quam actionem respicere terminum modo sibi accommodato, et ideo posse ab illo sumere diversam speciem, maxime cum distinctio inter actionem et passionem solum sit rationis per inadæquatos conceptus, ut sequenti disputatione latius dicturi sumus.

17. Dixi nihilominus in conclusione, posse oppositam partem defendi, quia qui mordicus asserere voluerit actiones totales causæ univocæ et æquivocæ tendentes ad terminos omnino similes, ut calefactionem ignis et solis, esse specie diversas in ratione actionum seu dependentiarum, non poterit facile convinci manifesta aut evidenti demonstratione; tamen pro re philosophica rationes factæ sufficientes videntur. Solum posset illa opinio habere aliquam verisimilitudinem, quando cum diversitate agentium conjungeretur supernaturalis modus agendi, ut jam dicam.

*Quomodo distinguatur actio ex modo.*

18. Dico tertio: verisimilius est actiones nunquam esse specie diversas ex solo modo agendi, si termini actionum sint omnino iidem, seu similes sint, dummodo illi modi agendi sint connaturales rebus seu terminis ipsis. Cur hanc ultimam partem addam, dicam inferius. Nunc probatur assertio primo inductione, quæ facienda est modo in probatione præcedentis conclusionis indicato. Nam de creatione et generatione imprimis ostensum est, illos modos esse generales, et non específicos; deinde illas actiones non differre tantum in modo, sed etiam in termino, non tantum a quo, sed ad quem; terminus enim a quo, nisi redundet in diversitatem termini ad quem, non specificat aut diversificat ac-

tionem, ut sumitur ex D. Thom. 1 p., q. 25, art. 1, et q. 45, art. 1, quia actio non ordinatur ad terminum a quo, sed ad quem, et ab alio potius recedit, sicut de motu etiam traditur in 5 Phys. Rursus, motio localis per lineam rectam aut circularem ad eundem terminum ultimum non esset actio diversa, nisi termini proximi, ad quos tendunt illæ actiones, essent diversi. Ut omittam, sub quæstionem cadere, an motus circularis et rectus essentialiter differant, etiam in ratione motus, vel solum in modo accidentali, et quasi in figura, sicut linea recta et circularis, quod ad physicam spectat. Aliud vero exemplum, quod supra adducebatur de auctione et diminutione, non est ad rem, nam eo modo quo auctio et diminutio distinguuntur, non ex modo tendendi, sed ex terminis distinguuntur. An vero distinguantur specie quatenus actiones sunt, vel solum in ratione mutationis, quatenus una habet rationem privationis, altera acquisitionis, et quia denominantur singula ab eo quod in eis accedit, non ad præsentem, sed ad philosophicam disputationem pertinet; hic enim satis est in genere dicere, in ratione actionum non habere majorem distinctionem specificam, quam distinctio terminorum postulet. Itaque in naturalibus actionibus nullum exemplum afferri poterit, in quo, stante eodem termino, et principio agendi, actiones distinguantur specie ex modo.

19. Ratio autem videtur esse eadem quæ supra tacta est, nimirum, quia terminus, secundum proprium esse suum, est quasi formale objectum actionis, et ideo non potest reperiri modus qui mutet (ut ita dicam) formalitatem illius objecti ad specificandam actionem, maxime loquendo de modo actionis connaturalis tali termino, nam modus effectus connaturalis, est proportionatus illi rei seu illi esse, quod per actionem communicatur; nam est intrinsecus modus ejus, connaturalis illi, et ideo si terminus sit omnino idem, non potest actio esse diversa tantum ex modo. Neque explicari facile potest in quo consistat talis modus; nam si qui alii præter supra numeratos excogitari possunt, revera sunt accidentales; ut, verbi gratia, quod una actio sit per resultantiam, alia ab agente extrinseco, quod non variat rationem actionis, si terminus sit ejusdem rationis. Ut patet de frigefactione aquæ se reducentis ad pristinam frigiditatem, et de frigefactione aeris ab extrinseco; non enim sunt illæ actiones specie

diversæ quantum ad realem et physicam essentiam, sed solum quoad denominationem quamdam. Sicut etiam quod actio sit modo violento, vel connaturali subjecto, per se non variat actionem, si non variat terminum, quia illi modi, vel potius denominationes, solum sumuntur ex quadam relatione, et proportionem aut improportionem ad naturam, quæ non solum non variat actionem, sed requirit potius identitatem vel similitudinem ejus, ut possit uni subjecto esse proportionata, et alteri violenta aut non naturalis.

20. Addo etiam, neque modum actionis, quod sit successiva vel instantanea, variare speciem actionis, per se loquendo, si terminus omnino sit idem, quia etiam illi duo modi sunt valde accidentales, cum solum consistent in majori vel minori velocitate actionis, ut supra dicebamus. Unde sæpe variantur illi modi ex accidentalibus conditionibus ad agendum requisitis, ut intensio luminis fit successive, quia agens successive magis et magis applicatur; et intensio caloris, quia passum resistit vel non resistit; et intensio visionis, vel actus immanentis, ex applicatione libera agentis.

21. *Actiones an speciem diversam sumant ex naturali vel miraculoso modo quo fit idem terminus.* — Dixi autem in postrema parte assertionis, dummodo actiones sint connaturales, quia per potentiam Dei absolutam fortasse fieri potest ut eadem res fiat actionibus specie distinctis, etiam si in terminis earum nulla sit diversitas, si una actio sit naturalis, altera vero supernaturalis, vel si utraque supernaturalis sit. Duobus autem modis potest hoc accidere. Primo, si aliquo modo varietur principium agendi, ut quando Deus operatur per creaturam, ut per instrumentum, ultra virtutem naturalem ejus, per potentiam obedientialem. De hujusmodi enim modo agendi, probabile satis est sufficere ad variandam speciem actionis, ut dixi in 1 tom. tertiæ partis, disp. 31, sect. 6, in solut. sexti argumenti, ubi nonnulla diximus de differentiis actionum, quæ interpretanda sunt juxta præsentem doctrinam. Alter modus multiplicandi illas actiones esse potest per solam divinam voluntatem et potestatem, ut si Deus vellet sola sua virtute eandem omnino rem variis actionibus et specie distinctis, vel simul, vel successive producere aut conservare. Qui modus difficilior videri potest, quia repugnare videtur, res vel modos multiplicare, ubi nullum est principium distinctionis.

Sed ad hoc dicitur posse Deum efficere actiones seipsis distinctas, et non ex terminis, vel aliunde, quod quidem de omnibus actionibus affirmant multi, et sumitur ex Scoto, in 1, d. 13, quæst. unic., § *Ad quæstionem*; et licet non sit adeo probabile de actionibus omnibus connaturalibus ipsis rebus seu terminis, tamen de actionibus supernaturalibus, quæ non ita coaptantur rebus ipsis, non videtur improbabile. Cum ergo in hoc non appareat implicatio contradictionis, non videtur facile negandum, quanquam oppositum etiam probabilitate non careat.

*Propria quæstionis resolutio.*

22. Ultimo dicendum est, ut quæstioni propositæ in forma respondeamus, actionem secundum quamdam rationem pendere æque essentialiter atque etiam individualiter a principio et a termino, quoad specificationem vero magis pendere a termino. Prior pars declaratur, quia in duobus est æqualitas. Primo, quia tam est impossibile actionem esse sine respectu ad agens, sicut sine respectu ad terminum, et e converso, quod satis probatum est in sectionibus præcedentibus. Secundo (quod ad individuationem spectat), nam quælibet actio quoad modum suæ entitatis in individuo et in particulari ita pendet ab hoc agente et ab hoc termino, ut impossibile sit, quocunque eorum variato, eandem actionem manere. Ratio ex parte termini est, quia cum actio sit in termino tanquam modus ejus, non potest manere illo mutato, seu sine illo, quia in universum modus non potest manere sine re ejus est modus. Ex parte vero agentis ratio est, quia actio non fluit ab agente per actionem aliam, sed seipsa; unde per se et per suam modalem entitatem pendet omnino hæc actio ab hoc agente, et ideo non potest variari agens, quin sit variatio in ipsa actione, quia non est aliud in quo per se et necessario variatio fiat. Nam cum dicitur variari agens, non est necesse variari quoad absolutam entitatem ejus, sed solum quoad hoc ut nunc agat, et postea non agat, etiamsi idem effectus perseveret in rerum natura; illa ergo varietas non potest fieri, nisi propter varietatem actionis; ergo in universum quotiescunque variatur agens, actionem etiam variari necesse est; nam sicut, variato effectu formali, necesse est variari formam, et ablato subjecto tolli accidens, et destructo termino destrui respectum, ita variato agente in ra-



tione agentis, necesse est variari actionem, quæ est forma ejus, ut sic, ad quam etiam comparatur per modum subjecti illius denominationis, et per modum termini illius respectus. Igitur quoad illa duo est æqualitas inter hos respectus, et tam intrinseca necessitas, ut implicet contradictionem aliter actionem fieri. Altera vero pars conclusionis satis patet in superioribus; nam terminus est veluti forma ultima extrinseca actionis, et ab illa determinatur agens ut sic, ut actionem in tali specie efficiat, per se loquendo, juxta naturas rerum, quidquid sit de supernaturalibus miraculis.

*Responsio prima ad dubitandi rationem.*

23. Hinc facilis est responsio ad rationem dubitandi in principio positam. Negamus enim, respectum actionis ad agens et terminum, esse duplicem secundum rem, sed solum secundum inadæquatos conceptus nostros. Nec refert quod agens vel terminus sint res valde diversæ, quia non respiciuntur illo respectu, nisi cum subordinatione inter se, atque ita per modum unius; actio enim non egreditur ab agente, nisi ut tendat in terminum; ubi est autem unum propter aliud, ibi est unum tantum. Quod frequens est in his respectibus: habitus enim respicit potentiam, non in ea sistendo, sed transeundo (ut ita dicam) ad objectum, et in universum relatio refert subjectum ad terminum.

*Argumentis aliarum opinionum satisfi.*

24. Argumenta primæ opinionis, quatenus repugnare possent nostræ sententiæ, soluta jam sunt. Argumenta vero secundæ directe nostram confirmant sententiam, et ideo non est quod illis respondeamus. Quanquam illa comparatio, quæ ibi fit inter terminum a quo, et principium actionis, non sit omnino similis; nam actio non proprie pendet a termino a quo, nec dicit positivum respectum transcendentalem ad illum, cum ille tantum sit aut privatio quædam, aut terminus contrarius; ab agente autem positive et essentialiter pendet actio per seipsum, et ideo ad illud dicit proprium et positivum respectum transcendentalem, non minus quam ad terminum.

25. Ad argumenta vero posita in tertia sententia partim responsum est probando nostram sententiam. Nam exempla, quæ ibi adducuntur de diversitate actionum ex principiis agendi, non sunt vera, nisi ubi diversitas illa principiorum redundat in diver-

sitatem terminorum, saltem loquendo ex natura rei, et seclusis miraculis. Ad rationem autem ibi factam dicendum est, quando unum ens dicit respectum ad duo cum subordinatione eorum inter se, specificationem esse sumendam ex eo quod est quasi ultimum in illa habitudine, et ex illo capite, per se loquendo, variari speciem, non vero ex alio, nisi in quantum mediante illo, vel ratione illius, variatur etiam respectus ad ultimum terminum.

26. Denique etiam alia argumenta, quæ in quarto dicendi modo insinuata sunt, inter probandam tertiam assertionem sunt expedita. Exempla vero, quæ ibi adducebantur ex distinctione habituum aut materialium viarum, potius confirmant quæ diximus. Nam modus procedendi in scientia, vel operandi per habitum, non distinguit habitus, nisi in quantum in ipso objecto variat aut medium assentiendi, aut motivum operandi, quæ variatio est in ipso objecto, et quasi in termino formali ipsius habitus. Materiales etiam viæ tendentes ad eundem terminum remotum, ideo distinctæ sunt, quia si sumantur ut res absolutæ, sunt spatia suis quantitativibus distincta; si autem sumantur quasi respective in ordine ad terminum, in terminis proximis et intrinsecis illarum est distinctio, sicut supra dicebamus de motu ad eundem terminum per lineam rectam et circularem.

SECTIO IV.

*Utrum actio ut actio dicat essentialiter respectum ad subjectum inhæsionis, et quodnam illud sit.*

1. In hac sectione amplius declaranda est dicta divisio actionis in immanentem et transeuntem, et alia præterea subdivisio actionis transeuntis indicabitur, simulque expedienda erit illa vulgaris dubitatio, an actio transiens sit in agente, necne.

*De subjecto actionis transeuntis prima sententia.*

2. Primum igitur inquirendum est an actio ut actio necessario respiciat ipsum agens, ut subjectum cui inhæret. Omnes enim auctores, qui affirmant actionem transeuntem esse in agente, in hoc nituntur principio, quod actio ut actio in aliquo debet inhærere subjecto, quod non potest esse nisi agens quatenus actu agens. Tenent autem hanc opinionem ex discipulis D. Thomæ, Cajetanus, 1 part., q. 25; et Hispalensis, in 1, dist. 27, q.

4, notab. 3; Flandr., 5 Metaph., q. 22, art. 2. Tenet etiam Scotus, in 4, dist. 13, q. 1; et Ant. Andreas, in lib. de Sex principiis, c. de Actione; et communiter Scotistæ, et Paul. Venet., in Summ. physic., cap. 18; Avicen., 2 Sufficient., cap. 5. Differunt autem multum quoad rem ipsam: nam Scotistæ per actionem solum intelligunt relationem agentis ad effectum vel passum; putant enim ante hanc relationem, quæ resultat in agente, jam producto effecto, nihil mediare inter agens et effectum, distinctum ex natura rei a forma, quæ est principium agendi, et ab ea quæ est terminus actionis, quod sit proprie actio prædicamentalis. Sed nos non in hoc sensu de actione loquimur, nec putamus respectum illum posse proprie actionem vocari. Supponimusque contrarium fundamentum, nimirum, esse inter effectum et efficiens, actionem mediam distinctam ex natura rei ab eis, quæ est prior natura illo respectu, et fundamentum, vel conditio, vel ratio fundandi illum.

3. Cajetanus ergo, et qui eum sequuntur, in hoc posteriori sensu intelligunt, actionem dicere intrinsecum respectum ad aliquod subjectum cui inhæreat, et hoc esse debere ipsummet agens. Quod si instes, quia actio Dei non potest hoc modo Deo inhærere, respondent, etiam actionem Dei esse in Deo, non tamen per propriam inhærentiam, sed per identitatem et simplicitatem suam, quia illa actio non est de genere actionis, neque accidens, sed ipsamet substantia Dei. Hic autem loquimur de actione prædicamentali, quæ est accidens. Hoc autem videtur esse præcipuum fundamentum hujus sententiæ; nam cum actio sit accidens, necessario debet esse in aliquo subjecto cui inhæreat; cum autem sit forma et actus agentis, ex 3 Phys., c. 2, non potest habere aliud magis proprium inhæsionis subjectum. Præterea, quia illud est subjectum formæ, quod per eam actuatur, et reducitur de potentia in actum. Quam rationem his verbis attigisse videtur D. Thomas, 2 cont. Gent., c. 9: *Actio, quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subjecto, et ideo inter novem prædicamenta computatur*; et q. 7 de Potent., art. 9, ad 7, ait: *Actio ut actio consideratur ut ab agente; in quantum vero est accidens, consideratur ut in subjecto agente*.

4. Secundo argumentor, quia si actio non est in agente ut in subjecto, in nullo subjecto erit; at vero hoc repugnat, quia est con-

tra rationem accidentis; ergo. Probatnr major, tum quia si in aliquo subjecto esset actio extra agens, denominaret illud; nam omnis forma denominat subjectum in quo est; sed non potest denominare; quam enim denominationem tribueret? Non agentis, quia hanc soli agenti tribuit; non aliam, quia actio ut actio non potest aliter denominare, nec fingi facile potest talis denominatio. Tum etiam quia, si in alio subjecto esset, maxime in passo; sed hoc non, quia in passo est passio; actio autem et passio cum dicant respectus oppositos, et formas prædicamentali-ter diversas, non possunt esse in eodem subjecto. Unde D. Thom., in 2, dist. 40, q. 2, art. 4, inde probat, actionem et passionem esse diversa accidentia, quia actio est in agente, et passio in passo.

5. Tertio, quia actio creata est perfectio agentis; ergo est in illo, quia forma non perficit, nisi subjectum in quo est. Antecedens probari potest, primum ex illo Philosophi, 2 de Cælo, c. 3: Unumquodque est propter suam operationem; est autem unaquæque res propter suam perfectionem; ergo omnis operatio est operantis perfectio. Deinde ex D. Thom., q. 7 de Potent., art. 10, ad 1, ubi ait, quod actio, quæ est media inter agens et passum, est proprie perfectio agentis; et ideo dicit ibidem, quod agens, in quantum est agens, non est extraneum a genere patientis. Et idem sentit in solutione ad 7, et 3 contra Gent., cap. 19; et sumitur ex Comment., 12 Metaph., com. 36.

*Secunda sententia.*

6. Secunda sententia affirmat etiam, de ratione actionis creatæ ut sic esse ut habeat aliquod subjectum inhæsionis, propter illam communem rationem accidentis, tamen subjectum hoc non semper esse agens, sed distinctione utendum esse; nam actiones immanentes sunt in ipso agente, transeuntes vero in passo. Et quia in prioribus partibus convenit hæc sententia cum præcedente, solum quoad postremam probanda est. Est ergo illa sententia, ut videtur, expresse Aristotelis, 3 Physic., c. 3, ubi eundem modum ait esse actionem et passionem, esseque actum agentis et patientis, illius ut a quo, hujus ut in quo. Clare ergo sentit actionem esse in passo. Idem constat ex 9 Metaph., c. 9, ubi ait actionem esse in re facta, ut ædificationem in re ædificata; idem sumitur ex 2 de Anima, c. 2, text. 24 et 25, ubi sic ait: *Actio*